

monstrari Spiritum Sanctum venientem super Dominum; ut intelligat unusquisque, si habeat Spiritum S. simplicem se esse debere sicut COLUMBAM; habere cum fratribus veram pacem, quam significant oscula COLUMBARUM &c. Id. Tract. 7. in epist. Job. 1. Fel, ait, COLUMBA non habet &c. Christianus quoque felle odii careat, si quos punire debet, amanter & columbino corde puniat. Monuit & ipse humani generis Salvator Mattb. 10. 16. *γίνεσθε φρόνιμοι ὡς οἱ ὄφεις, ἡ ἀνέγκαιοι ὡς αἱ περὶ σέγαί.* Estote prudentes ut serpentes, & simplices prout COLUMBÆ: Dissidentium sc. a se animantium inesse nobis voluit naturam; ita tamen ut serpentinam prudentiam columbina temperaret simplicitas, & simplicitatem columbæ serpentina instrueret prudentia, fieretque & simplex sapientia, & sapiens simplicitas. Simplicitatem quoque columbæ & prudentiam serpentis ideo commendat Servator, ut in malitia simus simplices, in bono vero opere prudentes. Nec prudentia serpentis sit sine simplicitate columbæ, nec simplicitas columbæ sine prudentia serpentis: quatenus columbæ simplicitatem astutia serpentis, ut mala caveat, sollicitet, & prudentiam serpentis simplicitas columbæ, ut bona faciat, temperet. Erasmi in sur Ecclesiaste l. 2. p. 105. Annon, inquit, videmus in quorundam oculis ac fronte quasi relucere Spiritum S. placidum ac fuci nescium? Agnoscas in illis jam nunc meditari vim Numinis, quod in resurrectione perficiendum est, ut Spiritus potentior corpus ipsum quodammodo in se transformet. Quemadmodum e diverso, qui prorsus abjecto timore Dei semet ad omnem impietatem, omneque scelerum genus dediderunt, ipsa corporis specie diabolum videntur exprimere. Timidum hoc Animatum in abditis petrae cavernis nidum explicat: Justo dono fortitudinis a Sancto Spiritu corroborati, in vulneribus cruciatu Salvatoris, in transverberato sanctissimo Christi latere refugium omnemque spem firmam collocant, uti Cant.